

vita piorum dicitur æterna, sic etiam visio beatifica dicitur æterna. (3) *Æternum* significat id, quod est inseparabile ab aliquâ re, sive ea res sit æterna, sive non, seu quod est alicui rei ita conveniens, ut ipsi necessariò ac semper competat; sic hominem participem esse rationis, capacem disciplinæ, aptum ad videndum, dicitur æternum esse: quas propositiones & similes Philosophantium natio vocat propositiones æternæ veritatis; sic Horatius dixit: *serviet æternum qui parvo nesciat uti*, h. est, ab eo, qui nescit uti mediocritate & parvitate suæ fortunæ inseparabilis erit servitus. (4) *Æternum* quoque dicitur illud, quod valde diu durat, etsi utrinque sit terminatum, hoc significatu jungitur circumcissioni, quando dicitur fœdus æternum, quia diu duravit etsi alii æternitatem ejus dicant compleri in antitypo. Sic S. Li-
teræ montes & colles appellant æternos. Prolixior in recensendis vocabuli hujus acceptionibus est Benedictus Pererius lib. 12. cap. 8.

Th. 3. Hisce præfloratis ad definitionem Æternitatis ipsam recto properamus tramite. Boëthius l. 3. de consol. Phil. propos. 2. definit Æternitatem, quæ scilicet DEO competit: quod sit *interminabilis vite tota simul & perfecta possessio*. In hujus definitionis explicatione, multùm desudant Thomas p. 1. q. 10. art. 2. & Pererius l. 12. de temp. c. 9. Armandus de Bello visul. 2. Term. c. 63. & alii, qui ferè ad unum omnes in diversas distrahuntur sententias, adeò, ut solum id agere, idque moliri videantur singuli, quo definitioni huic peculiarem induant sensum. Pererius l. c. hisce mentem suam proponit: *eternitas dicitur interminabilis, quia quod vere est æternum, caret terminis durationis, quæ duo sunt, unus initium durationis, alter finis, utroque autem caret æternum; in quo licet intelligere discrimen eternitatis ab ævo, & tempore; tempus habet utrumque terminum durationis, estque ante ac post terminabile: ævum autem habet tantummodo alterum terminum, durationis, nam caret fine, habuit tamen initium; quare ante quidem terminabile est, quamvis post sit interminabile, æternum vero est utrinque interminabile. Vitæ; quia quod est verè ac propriè æternum, illud etiam est vivens. Deinde quia vivere tam significat ipsum esse viventium, cum vivere viventibus sit esse, & ipsam durationem, dicitur enim aliquid vite brevioris aut longioris, secundum ipsas operationes*

tiones